

**DE AMICITIA
LIBER TERTIUS
CARMINE DIDACTICO**

**EXPOSITUS,
HONORIBUS
*Perillustrium, Reverendorum,
Religiosorum, Prænobilium, Nobilium,
ac Eruditorum***

**DOMINORUM, DOMINORUM
NEO-DOCTORUM,**

Dum in Antiquissima, ac Celeberrima
UNIVERSITATE VIENNENSI,

**PROMOTORE
R. PATRE ANTONIO
WEILHAMER,**

**E Soc. JESU, AA. LL. & Phil. Doctore,
Ejusdemque Professore Emerito, nec non p. t.**

Inclytæ Facultatis Phil. Seniore, ac Consistoriali,

**Suprema AA.LL. & Philosophiæ Laureæ
insignirentur,**

Ab Illustrissima Rhetorica Viennensi

D. D. D.

Anno M. DCC. XXXIX. Mense Junio.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

**Typis, Leopoldi Joannis Kaliwoda, Celeberrimæ,
ac Antiquissimæ Universitatis Viennensis Typographi.**



DE AMICITIA
LIBER TERTIUS
CARMINE DIDACTICO
EXPOSITUS
HONORIBUS

NEO-DOCTORUM,
DOMINORUM, DOMINORUM
de Traditione
Königlicher, Preussischer, Nobiler,
Pöbellicher, Ketzlicher, und anderer,

WILLIAMER,
R. PATRE ANTONIO
PROMOTORE
UNIVERSITATE VINDOBENSIS,
Dum in disputatione, de Celsitudine

Supremum A.A.L. & Phil. Doctores
Ejusdemque Professores Emendati, nec non p. e.
Insuper etiam illi, Seniores et Confessarii.

PERILLUSTRES,
REVERENDI, RELIGIOSI,
PRÆNOBILES, NOBILES,
AC ERUDITI

DOMINI, DOMINI
NEO-DOCTORES.



*Idem liberamus no-
stram, anno abhinc
elapso, dum litera-
rium pro more vestigal pendere-
mus, Vobis præstitam. Iteratum
Honoribus Vestris, idemque su-
preum dicamus Poësis nostræ Di-*

*daeticæ argumentum. Quodsi ar-
etioribus denuo, quam hodiernæ diei
solemnitas, & festivus hic Gloriæ
Vestrae apparatus expeteret, cir-
cumscriptum limitibus munus de-
ferimus : dabitur id virium no-
strarum imbecillitati, & laborum,
interrupta nunquam non serie, suc-
cedentium vicissitudini ; quin de
propensissima in Vos, Nominisque
Vestri studiosissima voluntate quid-
quam nostra dubitetis.*

Neque enim pro ea, qua in
lite-

*literaria omni œconomia versati
estis, experientia, aut ignorare po-
teritis, aut non comprobare suffra-
giis Vestris, decantatum illud Poë-
tæ effatum, artem hanc, siquam
aliam, secessum scribentis, atque
otia requirere: quo utroque quan-
tum in quotidianis prope exercita-
tionibus nostris Scholasticis labo-
remus, abunde noveritis.*

*Est tamen vel in hisce re-
rumstrarum angustiis, quod de
perspecta nobis facilitate Vestra*

jucundissima quæque opellæ huic
nostræ ominemur : siquidem quod
inconcinnitate metri, ac tenuita-
te peccatum est, id materiæ ipsius
dignitate, & virorum, de sanctio-
re morum Philosophia quam opti-
me promeritorum, auctoritate com-
pensatur. Mutua quippe Amico-
rum officia, jura, ac leges, dum Di-
dactico Vobis iterato Carmine in-
scribimus, si paucula nonnulla, quæ
Poësis sibi ut propria vendicat, de-
mamus, non tam ingenii isthæc
nostri

nostri inventa, quam stabilita dudum Amicitiae sanctioris dogmata, vel Christiani Philosophi imitatione quam dignissima intelligetis.

Porro operæ nostræ pretium quam amplissimum retulerimus, si, eandem in sententiam conspirantibus Vobis, adducti mortalium quam plurimi mutua Amicitiae commercia non utilitate cum vulgo, commodisque suis metiantur, vera ab sapientia quam alienissimis; sed ad sublimius quoddam eluctati fastigium,

gium, ea duntaxat probare fœdera
in animum inducant suum, quæ
DEO Auspice, ac ratione Duce,
ad præstitutam nobis omnibus me-
tam colliment quam proxime, no-
visque indies promoveant incre-
mentis. Quodsi eorum, quos mu-
tua non dedignemini Amicitia, vel
aliquo nos esse loco contigerit, fir-
miori adstricti vinculo nos pro-
fitebimur

HONORIS VESTRI

Studiofissimos

RHETORES VIENNENSES.



DE AMICITIA LIBER TERTIUS.

MUTUA
AMICORUM OFFICIA,
JURA, AC LEGES.

ELEGIA I.

*Amicitiae Lex præcipua , ne quid ab
Amico turpe expetas, ne quid facias rogatus.*

Quæ solida fundata basi , quæ pacta perennent,
Prima mihi versu dicere cura fuit.

Altera : quos stabili jungas tibi foederis ictu,
Quos tacitum admittas pectoris usque sinum.

Jam bene firmatam quas excoluisse per artes
Fas sit Amicitiam , pauca docentis habe.

Haud aliis , si recta sapias , quam primitus ortus
Principiis , altum surgere suevit amor.

Utque locum virtus , veluti Regina , tenebat
Præcipuum , & reliquis Dux in amore fuit.

Sic prima & deinceps teneat subsellia virtus ,
Tutior ut cœpta progrediare via.

Qua radice tener vix olim furculus hæsit ,
Hac viget , & virides explicat arbor opes.

Flumina , qua primum funduntur origine , manant
Perpetuo ; fessas dum mare sorbet aquas.

Quidquid agis , vel agendum optas , id conscia virtus
Imperet , & normam mente sagace regat.

Ardua si veniant agitanda negotia rerum ,
Arbitrii rectam fulciat illa basin.

Omnibus hæc cœptis jungatur provida ductrix ;
Hæc præcat , quoquo tramite carpis iter.

Heu cave , ne quidquam , quo læditur illa , sodalem
Forte roges , quidquam neve rogatus agas.

Hæc sit Amicitiae lex prima , hæc fœdera jungat ;
Hæc agat , æterno ut glutine pacta ligent.

Si lubet , e Pariis sublimia recta columnis
Construe , sustineant ænea fulcra larem.

Ut

Ut tamen inde basin , qua succollante stat ædes,
Subtrahis , actutum fabrica quassa ruet.

Sic conjuncta licet firmo sint pectora nexu ,
Vix tamen hac teneant deficiente basi.

Nil igitur sanctum , nil hic venerabile profit
Nomen Amicitiae , nil simulata fides.

Nec sociam renuisse manum verearis Amico,
Sicubi non licitam poscat iniquus opem.

Quod sanctum natura dedit , sine crimine sanctum
Permaneant , nil hic vota , precesque juvent.

Aspice Rutilium germanum exemplar amantis :
Hinc lege , quo pacto danda cuique fides.

Forte erat , ut socio pugnaret iniqua petenti
Durius , haud solito more rogata negans.

Cum velut offensa perstrictus protinus alter :
Te mihi nil opus est ; ni mea vota probes.

At bene Rutilius contra : quin quid mihi tandem
Profit Amicitiae cura , favorque tuus ?

Fœderis hoc titulo si sis mihi criminis author ,
Te propter , quidquam ut fautor iniquus agam.

Quid faceres hostis , quoniam sic lædis amando ;
Cede precor , procul & limina nostra fuge.

Et sane , scelerata dehinc suadere sodalis
Si pergit ; monitus ni meliora sapit.

Vix jam dignus crit , quocum commercia tractes
Mutua , cui pateant cordis ad ima fores.

Æneam petiisse nefas si nosset Achates ,
In mediis miserum deseruisset aquis.

Euryalum Nisus Rutulo transcripserit hosti ,
Euryalus vetitum si rogasset opus.

Quis , nisi desipiat , tali se credat Amico ,
Qui se , qui socium perdere stultus amat :

Criminibus pensare fidem qui perfidus anfit ,
Qui tibi pro casto reddere amore nefas.

Denique qui recto tecum decurrere calle ,
Dum queat , in dubiis ferre rogatus opem.

Saxa per & vepres , obsessaque tesqua colubris
Abripit , exitii tristic origo tui.

Qui te , seque simul meta divertit ab illa ,
Unicam Amicitiae quam decet esse tuæ.

Hoc igitur primum fatagas præstare sodali
Officium , ut quidquid turpe rogare , neges.

Id quoque provideas , ne cujus criminis author
Sis socio ; vetitum ne petiisse velis.

Utile perquirant alii , tu semper honestum
Expete ; sic casti regula amoris habet.

Hac sine , distorto procedunt tramite vota ,
Et tendit rectam linea nulla viam.

Hac sine , vix durent consortia foederis ; aut si
Durarint , fragili compede pacta ligant.

Hinc steriles gemitus , lachrymæ , sed sero profusæ ;
E quibus admissi nulla medela mali.

ELEGIA II.

*Hac lege salva , velle idem ac nolle per-
fectæ demum est Amicitia.*

HAc ubi lege tuis , ut longum foedera durent ,
Sat cautum est : ultra nil vereare doli.

Nulla dehinc discors animi sententia turbet ,
Mens eadem , atque idem sensibus inquit amor.

Qualiter in speculo dum iudice cernimus ora ,
Forma repercussio proditur æqua typo.

Alter in alterius votis sic vivat oportet ;
Cura premat geminos , & beet una quies.

Quin prior accedas ad Amici vota precantis ,
Idque tibi lucri grandis ad instar habe.

Aspicias , ut durum virtus magnetica ferrum
Attrahat , & nexu ceu propiore liget.

Sic hederæ fociis sese cum vitibus arctant ,
Et crescit parili planta gemella modo.

Sic videas stirpes alieno sæpe feraces
Germine, naturam dedidicisse suam.

Haud aliter jam non tuus esto ; sed esto sodali,
Moribus assimilis , consilioque pari.

Hujus in amplexum toto , fac , pectore cedas ,
Et quocunque sequi jusserit , ipse præi.

Imperet ut verbis , ne præstolare morando :
Pro verbis nutus , signa loquentis erunt.

Non lucri vesana fames , non nominis umbra
Magnifici, aut vulgi rumor, & aura trahant.

Sat placuisse tuo , studiumque probasse sodali :
Quantumvis aliis displicuisse putes.

Quid potius, diluta gravi quam pharmaca morbo,
Umbra viatori, perfugiumque reo.

Portus , & aura rati longis erroribus actæ,
Consilium dubio , pinguior offa fami?

Hæc , & plura tenes , stabilem fortitus Amicum:
Desine nobilius quærere velle lucrum.

Nec timor , aut anceps turbet te cura malorum ;
Quid metuas ? sat ubi tectus Achate tuo.

Cum tulit Æneas ruituram sacra per urbem,
Altera sacra Deos , altera sacra Patrem.

Flamma viro , medios ibat quocunque per ignes,
Quin ipsa , ut perhibent, tela dedere viam.

Tu quoque tutus eris, non terga, humerosque Parenti
Dum pius, ast socio subjicis ipse caput.

Cum stetit obsessæ fulcrum venerabile Trojæ
Palladium, reliquæ portus, & ara spei.

Non urbem, quoniam Tritonide nixa fuisset,
Evertant Danai, non Telamone fatus.

Non anni domuere decem, non mille carinæ,
Nobile dum pignus moenia pressa regit.

Plus aliquid, pictæ valeant quam signa Minervæ,
Præstat Amicitiae gratia, præstat amor.

Hac livor, vitium rebus solemne secundis,
Exulat, Argolica lubricus arte dolus.

Exulat & dubias spargens discordia lites,
Semina Cadmæo fertiliora fatu.

Dum contra tranquilla quies, ac dulcia pacis
Otia, conjunctos ore, animisque fovent.

Non tamen, hinc diversa tuam sententia mentem
Si subeat, Pyladen fac latuisse tuum.

Non rubor, aut timidi reverentia pectoris obstat,
Quin referas imo condita sensa sinu.

Ast nimium sapuisse cave, fors devius illo,
Quem tibi præscribit lex utriusque, scopo.

Nil violentus agas, nil, quod subiisse recuset
Temperies socii, pacis amica tui.

Hostiles inter turbas , strepitusque minaces,
Exere vim : terror scilicet inde venit.

Verum ubi pacatis animis commercia misces,
Fac, ineas placidam, ductus amore, viam.

Ni mare deducat ventis concordibus alnum,
Quo natet ambiguo turbine pulsa ratis?

Aut nisi conjuncti veniant ad aratra iuveni,
Divite num messem fœnore reddet ager?

Sic nec Amicitiae quidquam tibi fœdera profint;
Ni studiis eadem mens utriusque suis.

Ergo age longævum quisquis meditaris Amicum,
Id memori monitum pectore conde tuo.

Officiosa fides solidi sit gluten amoris :
Hac, si qua liceat lege, licebit, ames.

Qualiter alternat Pollux cum Castore vitam;
Mutato ut cœli fidere uterque micat.

Haud secus alternent studiis sua vota sodales,
Et subeant certas pectora Amica vices.

Sic ubi cura gravat , tecum si sustinet alter,
Non ita diviso pondere terga premet.



ELEGIA III.

*Consilia omnia, quin & arcana cordis
fidenter cum Amico communicanda.*

PRægrandis ne forte putes moliminis esse,
Herculeum aut robur quod sibi vellet, opus.

Arbitrio & precibus facilem cessisse sodalis,
Alteriusque magis, quam sua vota sequi.

Qui tua non levius, quam propria commoda curat,
Quique vigil lucris prospicit usque tuis.

Qui dum consiliis opus, aut succurrere rebus,
Consiliis promptus, reque paratus adest.

Ast ea, quæ nosti solus, concedere Amico,
Pectoris abstrusi pandere cuncta tui.

Te penitus, totumque finum referare; nec ullam
Secreti partem cordis habere tibi.

Hoc opus est: majora isthæc molimina crede,
Quam quæ tam facili sint superanda manu.

Attamen id solidi sibi lex deposcit amoris,
Exigit & pactum foedus, & alma fides.

Nil latuisse decet, nil occultasse roganti;
Intima perspiciat pectoris ille tui.

Nec fane spoliare queas hoc jure sodalem,
Sin tibi, sin illi perfidus esse velis.

Num quid enim, totum cui te donasse placebat,
Hunc aliqua fas sit parte carere tui?

Nil profit placido cymbam decurrere ponto,
Ni demum optatos detur adire sinus.

Nil vel regales epulae, vel divite luxu
Atria, ni pateant limina clausa domus.

Quantumvis quid iniqua queror, quid pacta profana
Arguo, perfidiae quid, vel inesse doli?

Tute tibi imponis; nec nosti, ut foenore grandi,
Quae bene credideris semina, reddat ager.

Ecquid enim tanto poterit tibi cedere lucro,
Ecquid fortuna candidiore beet?

Quam tibi si fuerit, cui pectoris ima recludas,
Seu bona te recreent, seu mala forte premant.

Seu placidi spirent Zephyri, cursumque coronent;
Seu validi insurgant ore fremente Noti.

Seu sit tuta quies, & longa malacia Nereo;
Seu trepidam jactet saeva procella ratem.

Qui demum, infesti quidquid fors sydera casus
Immittant, quoquo fata sinistra trahant.

Intrepidus, quosquos tecum transcendere fluctus;
Quique vel adversas promptus adire vices.

Qui

Qui mœsto tibi blanda ferat solatia, lapsum
Erigat, & vires suppetat usque novas.

Et tua tam fido præcludere corda sodali,
Huic renuas imos explicuisse finus?

Optatam id quidni fuerit disperdere messem,
Quæ tibi tam grandi parta labore stetit?

Id foret elusis scopulis, dubiaque charybdi,
Naufragium obtento littore velle pati.

Aut prope distantem portu prohibere carinam,
Dum subiit dubiis mille pericla vadis.

Denique votorum postquam contingere metam
Concessum est, placida nolle quiete frui.

Id foret oblatis tamen usque sitire fluentis,
Ut sitit in mediis Tantalus æger aquis.

Hoc, si quod fuerit, solo discrimine rerum:
Fortunæ venias quod faber ipse tuæ.

Hunc quippe ut cruciet laticis violenta cupido,
Destituit cupidum vindicis ira Jovis.

Tu contra post tot rerum molimina, votis
Proximus, en sortem rejicis ipse tuam.

Ergo age, neglectis posthac, quæcunque morentur,
Nil usquam focium, fac, latuisse tuum.

Consule, nil prohibet, seu fors tibi durior instet;
Seu te propitio Numine blanda foyet.

Seu famam, seu perdis opes, seu sanguine junctum
De tribus e vita sustulit una foror.

Nil tardes retulisse tuos, qui pectora luctus
Exagitent, promptam consule mœstus opem.

Mox, animis rebusque aderit tibi, crede, sodalis,
Et tua partito pondere damna feret.

Cognatos meliore fide, studioque favores,
Quin & fraternas reddet amando vices.

Ast ubi depulsa cessant caligine nubes,
Optatam revehit lux ubi plena diem.

Munificus dum fautor adest, dum tollit in altum;
Sublimi tecum sistat & ille loco.

Denique fatorum quidquid tibi cesserit usquam;
Æqua, stude, socio pars sit ut inde tuo.

ELEGIA IV.

*Satius, teste Seneca, secreti fidem peri-
culo objicere, quam Amici probe explorati
conscientiam reformidare.*

ESto tamen res sollicitis obsepta periclis;
Plena metu: pateant cordis ut ima tui.

Non bene perspecto ne fors ludaris Amico,
Texente innumeros in tua fata dolos.

Ne sibi commissis fors in tua viscera telis
Irruat, & subito fœdera pacta ruant.

Vel sic ancipitis subeunda est alea sortis;
Sic præstat sociam continuasse fidem.

Quam pia tam sancti disrumpere vincula nexus;
Fœdera tam stabili solvere nixa basi.

Quam semel assumpto diffidere rursus Amico;
Cujus in adversis sæpe probata fides.

Id jubet innocui Seneca instillator amoris,
Romulidum, & patriæ gloria magna suæ.

Id ratio, & tanti suadet reverentia vincli;
Id vel Amicitia jura sacrata petunt.

Nil magnum, sic fata volunt, discriminis expers:
Sæpius & magni commoda parva metus.

En subit ancipitem tumidus gladiator arenam,
Quantumvis Lybicus præda futura feris.

Nempe juvat dubii retulisse pusilla triumph
Præmia, sanguineo vix redimenda lytro.

Sic pariter, tenuis stimulante cupidine questus,
Mercator patrii deserit arva soli:

Nec timet infestas tentare Aquilonibus undas,
Et dare non fidis credula vela Notis.

Quidquid fata canant, quidcunque vel astra minentur,
Per mare, per terras quærit avarus opes.

Sæpius & densis errat venator in umbris,
Et sequitur celeres per juga celsa feras.

Nec Phœbi radiis, nec opacæ frigore noctis
Frangitur : heu quanti parva volupta venit !

Quin igitur majora petunt ubi lucra laborem,
Ancipitis quidquam fortis adire velis ?

Aude aliquid, nimiumque animo depelle timorem :
Mutua profuerint fœdera, profit amor.

Sic Magnus Macedo, medici perspecta Philippi
Dum premitur falsa suspicione fides.

Quam nullum in veteri metuendum crimen Amico,
Exemplo docuit postera sæcla suo.

Forte insperato malefidi frigora Cydni
Exanimata gravis corripit ossa febris.

Extemplo vigili cura, studioque Philippi
Adfertur dubio certa medela malo.

Ecce ! sed infestus perterret nuncius aures,
Litteraque a fido Parmenione venit,

Quæ venalem auro memorat, scelerisque nefandi
Insimulans medicum, mista venena docet.

Jam quid agat ? quæ fata miser magis æqua sequatur ?
Ebibat immeritam conscius ipse necem ?

Chaldæo potius pereat num victima ferro ?
Hostibus aut cedat præda cupita suis ?

Inde animat jurata fides; hinc cura salutis
Avocat & tacitis littera scripta notis.

At vicit pietate metum : nil territus hisce ,
Exhaustit medica pocula mixta manu.

Egregiam sic nempe fidem, tantisque probatam,
Impacti exsolvens suspitione mali.

Tu quoque, qui veri titulos sectaris Amici,
Illustre hoc studio factum imitare pari.

Fac memori volvas animo, fac, pectore condas;
Nec temere incautum retrahere forte pedem.

Arcanum tacito, quam dulce, aperire sodali
Consilium; Pyladi credere quæque suo.

Nobile quod pariat stabilis concordia lucrum,
Mutua quod pietas, quod socialis amor.

Hæc ubi contuleris dubio, raroque periclo,
Mutua quod forsan perdere pacta queat.

Quæ demum hæc justo potior formido futuri?
Anxia quis vecors pectora terror habet?

Non est, quod metuas in Amico pectore fraudis,
Non, quod fors taciti quid latitare doli.

Adde, quod hand ulli nisi longo credimus usu,
Nec nisi sit variis vita probata modis.

Ordine cuncta meant, nec grandia pandimus ante,
Quam sit in exiguis firma reperta basis.

Quis velit armatam Typhi committere classem,
Auspicio cujus cymba pusilla perit?

Sic pariter non ante tuo graviora sodali
Credito, quam levibus sæpe agitata fides.

Rebus in adversis postquam sat cognita virtus,
Et longis fuerit sat manifesta moris.

Ut tuto veluti liceat confidere portu;
Nec tua sit dubio cymba relicta salo.

ELEGIA V.

*Carvenda præprimis Amicos inter assen-
tatio, nec probanda omnia, nec imitanda.*

NE tamen huic præceps nimium confide quieti;
Neve pericla putes jam superasse ratem.

Nam tuto ut liceat placido committere ponto,
Carbasâ, tranquillo pandere vela mari.

Non tamen optato fas sit prævertere cursu;
Nec quæ speraras littora, cymba leget.

Ni scopulos inter medios, & saxa morantem,
Sistentem aut penitus provechat aura trabem.

Sic neque quid solidi speres e fœdere lucri;
Quin potius taciti multa latere doli.

Mellito dum facta vides quæque ore probari,
Quantumvis titulis inferiora suis.

Non sic verus amat germano pectore Amicus;
Non ore, aut studiis roborat usque novis.

Quæ forte, incauto nimium, subrepere novit,
Moribus a primis quæve aliena notat.

Quin potius tacitis curat tua commoda votis,
Ut solet in propriis invigilare lucris.

Nil spernit, tempusque vigil, quin sedulus horam,
Atque omnem exquirat providus arte modum.

Errantem ut monitis liceat meliora docere
Consilia, exemplis ut revocare suis.

Fors cadis incautus, quis enim sine vivere culpa,
Atque omni penitus labe carere queat?

Promptus adest, studioque omni te protinus urget,
Ut melius cœpto tramite pergat iter.

Forfitan offensus, justo graviora vibrare
Fulmina, jam dextra vindice tela paras.

En latus exarmat placidus, strictum eripit ensē:
Pacificas cautus suadet inire vias.

Nempe adeo, cui verus amor, cui foedera cordi,
Cui focii probitas, integritasque sui.

Nempe adeo studiis semper sibi constat iisdem,
Nec simulat varias corde, vel ore vices.

Non ita, cui venalis amor, qui propria spectat
Commoda, quem tangit non nisi cura sui.

Quin potius nullo sequitur discrimine mores,
Quantumvis recto tramite abesse putet.

Utque vafer placeat, fallax ut simia ludat:
Nunc hos, nunc illos induit arte dolos.

Nunc furias vultu spirat, nunc lumina torquet;
Nunc fingit rabiem jam posuisse suam.

Nunc oculi lachrymas simulant, nunc labra cachinnos:
Quoque fuit mœror, nunc sedet ore lepor.

Unum illud cordi est: delusum ut stringat Amicum,
Servet & obsequiis corda revincta suis.

Incautum mulcere parat, velut improba Siren,
Blandiloquis captos perdere sueta jocis.

Mergeris, ni mente sagax imiteris Ulyssen;
Ni cera auditum muniat arcta tuum.

Quam bene conveniunt sapientis dicta Biantis,
Et firmant monitis candida metra suis.

Quæ fera præ reliquis homini vitanda, rogatus;
Aut quæ sollicito sit fugienda pede.

Immites inter fertur numerasse tyrannum,
Quod nequeat furiis ponere fræna suis.

Ast placidas inter, qui turpi illudere palpo
Suevit, & infidias, toxica blanda, fovet.

Heu quantos, tacito hæc pestis nocitura veneno,
Perdidit! hoc scopulo quot periire rates!

Heu quantos censere licet, qui mella bibisse
Crediderant: ast heu! fel latuisse dolent.

Quot regna, externo quamvis intacta furore,
Hinc tamen exitii causam habuere sui.

Ergo age, fac reddant aliena pericula cautum;
Si sapias, justo commoveare metu.

Germani siquidem titulo tangaris Amici,
Si cupias studiis corda ligare tuis.

Parce, precor, nimiis cumulare encomia verbis,
Quælibet aut focii facta probare tui.

Sed neque tu faciles præceps concefferis aures,
Dum tibi fucato pectore Censor adest.

Hic solum, hic laudes tribuat, qui laudat inemptus,
Cunctaque pro meritis ponderat acta suis.

Quique simul, dum causa petit, perstringere mores
Norit, & exemplo corrigit ipse suo.

Scilicet huic veri cedas cognomen Amici,
Qui, bona quo studio suadet, iniqua vetat.



ELEGIA VI.

*Moderanda pariter nimia in arguendo
Severitas.*

COrdato quantum distet palpator Amicō,
Ingenuo quantum tectus Achate Sinon.

Ut leges, & jura petant socialis amoris,
Non ore, aut factis quæque probare suis.

Jam tibi, quisquis eris, qui fœdera firma requiris,
Explorata satis, sat patuisse putem.

Id memori jam dogma velim sub pectore condas;
Quod bene Spartano providus ore cavet.

Haud bonus, aut dignus, stabili quem fœdere jungas,
Qui timidus Cenfor nec male gesta notat.

Haud bonus est, qui laudat opus, quod lædit honestum,
Quique nefas animo dissimulante tegit.

Ast quia res agitur veteranos inter Amicos,
Innocuus jungit quos probitatis honos.

Nobile quos recti studium, quos conscia virtus,
Quos morum integritas in pia vota trahit.

Sit procul hinc gravior Cenforis virga Catonis,
Hinc procul immodico percitus igne furor.

Spicula siqua vibras minitantibus addita verbis;
Sint ea mellifluis spicula tincta favis.

Vulnera, quæ duro coalescunt obsita callo,
Et nimium longis invaluere moris.

Immitis ferro Chiron scrutatur, & igne;
Unde novo redeat parta dolore salus.

Sed tenui cum plaga recens vestigia fulco
Detegit, internas vix penetrante fibras.

Mitior hanc curat facili Podalirius arte,
Instillans tepido balsama nupta mero.

Sæpe furit rigidis sonipes calcaribus actus:
Pro stimulis nutus subjice, promptus adest.

Florida prata vides, ubi sol attemperat æstum;
Arida, ubi ignivomis Syrius urit equis.

Non Aquilonis hyems, non horrida prælia Cauri;
Educat ast Zephyri blandior aura rosas.

Qui ruit ex alto disruptis nubibus imber,
Eluit & rapidi fluminis instar humum.

Nil steriles fœcundat agros, nil germina nutrit,
Nil adfert liquidæ, quam sitit hortus, opis.

Sterhuntur potius sata læta, boumque labores;
Spes perit agricolæ naufraga, læta Ceres.

Obruit æquor iners segetem, mandataque terræ
Semina, si qua parant surgere, mergit aquis.

Decidit at lentis ubi nimbus ab æthere stillis
Crebrior, & placido rore relaxat humum.

Arboribus sua vita reddit, sua gloria campis,
Induit Elysium Chloris opima sinum.

Surgit arista solo plenis ditissima granis,
Luxuriat gravidis vinca læta botris.

Hæc nos humanos imitantia symbola mores
Mutua Amicitia munera, crede, docent.

His Pylades curis, hac arte colendus Orestes,
Hac crit infirmus restituendus ope.

Nil nimium violentus agas; labor, impete cæco
Qui venit, optatis fructibus usque caret.

Crudescit, truculenta nimis si dextra lacessat,
Et fugit oblatam plaga medentis opem.

Sit procul ira ferox: nempe hic exstinguit amorem
Ignis, & in cineres nobile vertit opus.

Ut suus ignis inest iræ, suus ignis amori;
Sic amor igne alio, quam calet ira, calet.

Temperie moderare gelu, moderare calorem,
Nequa parte nimis fors violentus agas.

Navis Amicitia est, placidisque regenda Favoniis:
In scopulos quoquo turbine pulsa ruit.

Sic igitur moderare tuo bene cautus Amico,
Ut teneant justum pharmaca cruda modum.

Præcipiti ne forte manu medicina paretur;
Sed potius longis præmeditata moris.

Fide aliquid recti studio, quod longior usus
Comprobat, & cani quod docuere dies.

Fide, nec incerta famæ movearis ab aura;
Sæpius hæc mendax spargere falsa solet.

Explorata fides, & multis cognita virtus,
Vindicet impacti suspitione mali.

Et licet admissi gravior tibi criminis author;
Quin penitus possit conscia culpa tegi.

Ne præceps animo, justas licet, exige pœnas;
Fervori tacitus fac moderare tuo.

Hac tuto ratione queas prodesse sodali;
Sic age, sic Censor cautus, & æquus eris.

ELEGIA VII.

*Non nisi secreto Amicorum errata
redarguenda.*

HAud satis est, facili tractes ut vulnera dextra,
Et leni cures providus arte malum.

Ut partes videre omnes implere medentis,
Indiget auxiliis pluribus ægra salus.

Non temere quocunque loco reprehende sodalem;
Ne qua sit officii gratia vana tui.

Limina fida decet, tacitos petiisse recessus,
Ne quis fors lubrica detegat aure sonos.

Abstrahe plebe procul, turbisque affare remotum;
Tectior ut tacitos ingrediare finus.

Momenti quæcunque gravis molimina fervent,
Secreto veniunt discutienda loco.

Nec Regum sancita volant manifesta per urbem,
Ni prius arcano sint agitata lare.

Hinc ubi solus eris, tecum quoque solus Achatès,
Corrige, si cordis, si fatis oris habes.

Ut quid enim patulas vitium crebescat in auras;
Audiat & streperum, quæ latuere, forum.

Non numerosa manus, levis aut sententia vulgi,
Sed tua, si sapias, ars adhibebit opem.

Harpocratem finxere Deum, quod labra premendo
Edocean, quantum sit tacuisse bonum.

Sic quoque Pythagoras, quotquot numerare sequaces
Contigit, & tacitis instituisse sacris.

Fræna severa prius linguæ posuisse loquaci,
Et nimios voluit dedidicisse sales.

Hos imitare, tuo siquidem prodesse sodali;
Nec velis occulto plus nocuisse malo.

Finge,

Finge, quod assistat medicis Epidaurius herbis,
Si cui suffusum sanguine vulnus hiat.

Pervia si ventis domus est, ubi decubat æger;
Nil aget, & sterilem sentiet artis opem.

Ad lenes Zephyri trepidat prope languidus auras:
Quid si Thrax Boreas murmura rauca ciet?

Quid si tempestas gravior rupto æthere fundat,
Saxea si trepidam grandio flagellet humum?

Vulnera, quæ lædunt animum, non mollia tactu
Sunt minus, ac plagæ corporis esse solent.

Sæpe lubens aliquis ferrum tolerabit, & ignes,
Corporis & quavis parte carere velit.

Nec cadet adversis animi constantia rebus;
Quantumvis plagis, Marsyæ ad instar, hiet.

Sed leve si famæ patitur discrimen, ab æstu
Fervet, & in furias mobile pectus abit.

Et bene thesauris nomen præhabetur opimis;
Nec quidquam toto grandius orbe putes.

Regnantum ut gazas teneas, Crœsique talenta,
Et male corrasas Pygmalionis opes.

India quidquid habet sub cardine solis utroque,
Divitis aut quidquid Tethyos unda tegit.

Æquare haud possit pretio memorabile nomen,
Aut famam immunis fraude, dolisque viri,

Passu namque pari graditur cum munere vitæ:
Ut dubitare queas: hæc sit, an illa prior.

Perdita, nec deinceps ulla est reparabilis arte;
Nec facile ad primum restituenda gradum.

Hoc igitur sublime bonum servare memento;
Sit tibi, sit Pyladi maxima gaza tuo.

Pars melior si nempe tui credatur Amicus,
Illius e lucro tu quoque lucra petes.

Ast ubi tentatæ patitur ludibria famæ:
En pateris socias, atra venena, notas.

Fœdera si jungas homini, quem rure creatum
Noveris; aut spreto de Corydone fatum.

Tu pariter contemptus eris; quod nempe sodalem
Nactus es, agresti conditione rudem.

Sic vitæ ratio, & quidquid fortitur Amicus,
In socium transit, cui placet ille, suum.

Damna, lucrum, virtus, commercia, fœdera, nomen;
Quidquid Amicorum conscia corda ligat.

Communem signare solent in utroque tenorem;
Nec multum absimiles participare vices.

Hinc tibi si socius curæ est, communis utrique
Si fama, hanc quaqua lædere parte cave.

Quos patitur manes, tacito medicamine tolle;
Sufficiet placidis commonuisse modis.

Ecquid enim? morbo medicus si liberet ægrum:
Pejus ab incauta si venit arte malum.

ELEGIA VIII.

*Par denique Amicorum officium, laudare
intempore, quæ qui lem probe, ac reprehendere,
quæ perperam gesta sunt.*

SAt cautum est, ne dira procul contagia serpant,
Afflat ubi focium nævus, & umbra tuum.

Neve velis turpi tacitus colludere palpo;
Aut facilem vitiis suppeditare manum.

Væ tibi, si, quod agit noxæ proclivis Amicus,
Id te liberius dissimulante patrat.

Sed neque jam nimio peccabit dextra rigore,
Siqua petet placidam plaga medentis opem.

Sauromatas, durosque Scythas, si faris ad illos,
Fronte, oculisque minax increpuisse queas.

At nos, quos finxit limo meliore Prometheus,
Blandior affatu vox, animusque decet.

Sic morbo, cui nec ferro medeare, nec igne,
Obvia subsidium sæpius herba tulit.

Opportuna magis ratio prodesse sodali
Suppetit, urbanis illecebrosa modis.

Ecquid

Ecquid enim torva mediteris fronte minari,
Sicubi commodius labra serena juvant?

Arma modo posuisse velit, non cæditur hostis:
Juratam quamvis læserit ante fidem.

Ut socium tua cura juvet, moderamen agendi,
Id tibi præcipui dogmatis instar erit.

Illius invigila lucris, huic parta tuere:
Quæstibus hunc studeas accumulare novis.

Devia nonnunquam si semita ducat, & error
Abstrahat; infestum si gradiatur iter.

Hic opus est, ut mente vigil revocare labores,
Ne sibi præcipiti tramite damna creet.

Ut retrahas, noli validos adhibere lacertos:
Nil prosis, nimium si violentus agas.

Phlægræa sic stirpe sati, gens torva Gigantum,
Sic stringat Siculus brachia dura Cyclops.

Absterret socium modus immansuetus agendi;
Nec volet inceptam deseruisse viam.

Ut prodesse queas, pacata fronte renidens,
Hactenus incauto quæ nocuere, doce.

Objice, fac, speculum, quo semet, & acta revolvat,
Quæ dudum lapso præteriere die.

Et quidquid meritum, quidquid virtutis amorem
Conciliat, nutu suavis, & ore refer.

Oderunt peccare boni virtutis amore,
Pœnarumque metu, quas meruere, mali.

Miltiadis quondam Mavorte, Themistoclis ardor
Dicitur, in flammâ incaluisse pares.

Et veluti residem rupissent classica somnum,
Sensit ab exemplo se præcunte rapi.

Nil nisi Miltiadis, quidquid restabat agendum,
Urgebant avidos parta trophæa finis.

Tantum pondus habent meritæ præconia laudis,
Impetus hic stimulos subjicit usque novos.

O quoties! quem nulla queant tardare pericla,
Ut, male quod cœpit currere, sistat iter.

Non pœna, aut pœnæ terror, non mille flagella,
Vindictis aut scelerum fulmina sæva Jovis.

Hunc exempla trahunt, stimulosque subinde ministrant,
Ut recto melius tramite carpat iter.

Quemque nec obrizi fulgor, studiumque metalli,
Splendida nec Regum purpura, opesve trahant.

Hunc meritæ laudis vix delibata voluptas,
Et bene gestorum gloria blanda trahit.

Aspice, Pictorum Princeps, ac lumen Apelles,
Quo sibi commissos ducere more solet.

Linea si forsan ducatur curva tabellis,
Non inde inceptum rejicit artis opus.

Abstinet irarum: rudior neque linea torve
Carpitur, & laudis spem labor omnis habet.

Hunc solers imitare, tuo prodesse sodali
Si cupis, ac tritæ restituissè viæ.

Non est, quod lenem nimium vereare medelam;
Nec, quod successu forte carere suo.

Fœdus Amicitiae non durum Pelion Ossæ,
Aspera nec saxis jungere saxa solet.

Ast homines nectit, queis mollis fibra, finisque
Mitior, & facili mens moderanda manu.

Hinc bene si sapias, artem tentaveris omnem,
Qua liceat socio consuluisse tuo.

ELEGIA IX.

*Reparanda mox, si qua ratione lesa est
Amicorum conjunctio.*

Incassum ne forte putes monuisse, rigori
Ut moderere tuo; quippe juvare velis.

Ut nimium violenta manus, torvisque Machaon
Exulet, & falsis cruda medela jocis.

Præcipue levius refidet dum pectore vulnus,
Seu magis ingenuam dum sibi poscit opem.

Haud

Haud decet insipidos semper miscere liquores;
Experiare, etiam dulcia sæpe juvant.

Quantumvis fatagas: dubii res plena laboris,
Durior obsequiis ne videre tuis.

Plus æquo sibi quisque sapit, sibi charus, & insons;
Et sua plus æquo gloria quemque trahit.

Non opus, ut pleno raucus sonet Africanus ore:
Vel lenis Zephyri provocat aura crism.

Sæpe vel ambiguo vox displicet edita sensu,
Sæpius incerto commoveare sono.

Sic nempe infirmo gravis est medicina palato;
Quantumvis melior profluat inde salus.

Dum, tacitam stygio pestem vomitura veneno,
Arrident avidis pocula blanda labris.

Sed quaqua ratione prior concordia læsa est,
Et suave abrumpant murmura rauca melos.

Ne nimium turbere animo; spes optima restat,
Principiis obstet si modo cauta manus.

Si modo scintillam primo restinxeris ortu;
Nec parvi nimium parva pericla putes.

Nec piger auxilium captis jam mœnibus urbis;
Aut prope deposito pharmaca sera feras.

Nosti, ut contiguos humani corporis artus,
Naturæ veluti vincula certa tenent,

Singula multiplici, stricto ceu compede, nexu,
Undique sunt solidis membra ligata fibris.

Horum finge aliquod quoquo discrimine lædi,
Et læsum nexu dissiluisse suo.

Vitalem haud ultro poterit transmittere succum,
Cui veluti mediam straverat ante viam.

Nec vigil hæc celeri depelle pericula cura;
Nec maturata cedere coge fuga.

Qui modo parvus erat, modo quem pars unica sensit
Mox furit immanis corpus in omne dolor.

Et demum, quod vile prius, modicumque putabas,
Viscera mox præceps serpit in ima malum.

Scilicet, arcta magis quo stringunt vincula partem;
Luxatam hoc gravior cura, laborque manet.

O quoties tenuis primum, & neglecta favilla
Succendit rapidos, viribus aucta, rogos.

Quos nec inexhausti vires restinguere Nerci,
Sola sed agnati sanguinis unda queat.

Deploranda diu quot non incendia movit
In furias rupto foedere versus amor?

Infernæ quoties eadem demersit Amicum,
Devotumque dedit perfida dextra Stygi.

Ante individui pepigit quæ foedus amoris,
Quæque ratam voluit Tartara ad usque fidem.

Infirmo sic nempe gradu mortalia sistunt,
Sufficiant stabilem ni nova fulcra basin.

Uisque adeo vel parva decet cavisse pericla,
Et sua sollicitis quæque librare modis.

Vel primis obstare malis, ne serpere deinceps,
Neve queant longis invaluisse moris.

Cæcula pacificus quamvis agat otia pontus,
Et pateant toto sydera Amica polo.

Ut tumidi fileant fluctus, Boreasque furores
Comprimat, inque altum provocet unda ratem.


Ut demum placidis inflentur carbasa ventis,
Et bene jam coeptum nil remoretur iter.

Sic tamen haud poterit posita formidine cursum
Prosequi, & optatos prora tenere sinus.

Si nimium secura fui, aut pertæsa laboris,
Abjiciat justos credula cymba metus.

Quin tacitos studiosa aditus penetrantibus undis
Obstruat, & potas in mare jactet aquas.

Cuncta vigil, sint parva licet, prævertere damna
Noverit; aut facili mox reparare manu.



ELEGIA X.

*Nunquam penitus nec offensæ ullius, nec
molestiæ radio dissolvenda.*

FOederis ast pacti subeunt fors tædia mentem,
Juratamque piget jam coluisse fidem.

Nectere quæque prius tanto fervore flagrabas,
Mutua Amicitiae rumpere vincla paras.

Et pede qui firmo nuper tua limina trivit,
Exclusum veteri nunc cupis esse domo.

Siccine promissum malefidus reddis amorem?
Foedus Amicitiae sic tibi vile jacet?

Infirmis adeo pretiosa hæc machina fulcris
Nititur? ut libitu corruat illa tuo.

Heu cave præcipites; tanto molimine parta
Ne propemomento perdere lucra velis.

Est pretium sat grande moræ: meliora redibunt
Consilia, ut primis ponere fræna scias.

Præcipitata nimis sententia proxima culpæ est;
Sæpius Authori tristia damna tulit.

Esto, minus videre tibi decerpere messis,
Quam portendebant semina jacta prius.

Sed nec Amicitiae, quas plena profuderat olim
Vena, satis largas fundere pergat opes.

Non his heu levibus metimur foedus amoris
Momentis, non his nititur arctus amor.

Ardua quin ultro quæquæ sufferre memento,
Et mala subsidio cuncta levare tuo.

Si modo verus amor vero respondet amori;
Nec colitur ficto mutua corde fides.

Par animi studium, par sit modo gratia linguae,
Atque parem socius reddat amando vicem.

Anne Anchisiaden profugum comitatus Achates,
An petiit dubias per nova fata plagas?

Ut latiis quondam celebris dominetur in oris,
Ut liceat famulo jura dedisse Tybri?

Divitis ut detur scrutari viscera terræ,
Ut prope regales accumularet opes?

Num magis, ut pietate sua, studioque probaret?
Quam neque vel duris foedera firma ruant.

Hinc cave, ne gluten solidi, vel nexus amoris,
Prodiga sint vitæ commoda, spesve lucri.

Nec dissolvendi ratio, discrimina rerum,
Quæ tibi cum socio fors subeunda tuo.

Ardua res nimium divellere pectore pectus;
Vixque datam, rursus velle negare manum.

Ast quereris recto penitus jam tramite versum,
Nec quidquam Pyladis jam superesse tui.

Fœderis & pacti minitari fulcra ruinam,
Herculea quamvis, vix retinenda manu.

In trepidam conjecta fugam jam pectoris illa
Prisca fides, morum cum probitate decor.

Nec solita statione sedet prior oris honestas;
Nec prior ingenuis gratia blanda labris.

Quin manus ipsa vicem meritis retulisse moratur
Officiis; non jam cor, animusque patet.

Sed neque sic præceps nimium laxanda memento
Fœdera, quæis dudum pectora vincta tenes.

Volve, revolve animo, vigili rem discute cura;
Ingenii cauta singula lance libra.

Fœdus Amicitiae nullo aut delebile casu;
Aut nusquam firma constitit ante basi.

Fac, imitare Deum, perfecti exemplar amoris;
Quippe nec offensus definit esse pius.

Et profugos blandus revocat; cumulatque favores
Immeritis; longis sustinet usque moris.

Ergo age, propitiam, ne tardes, porrige dextram;
Quamlibet errantem, qua potes, arte juva.

Et licet officiis certam fors figere metam
Constituas, studiis ponere fræna tuis.

Ne tamen ejectum penitus statione priori,
Et toto exclusum pectore durus agas.

Si piget erroris lapsum, ratioque recurrat
Sanior; & pulso turbine prima quies.

Perfidiae deleto probrum, nimioque rigori
Parcito; sit socius, quo fuit ante, loco.

ELEGIA XI.

*Benevolentiae isthaec vel erga absentes
conservanda studia.*

JAm demum leviora sibi mea Musa reposcit,
Nec quæ difficili stare labore putes.

Non opus ingenti nisu, aut molimine tanto,
Ut possent humeros forte gravare tuos.

Sit licet immensi pretii, sit dignior auro,
Candida in absentes, nec temerata fides.

Non tamen Attaliciis reputes opus esse talentis:
Unica in hanc mercem drachma sat esse queat.

Quam levis hic labor est, meminisse absentis Amici,
Quamque semel dederis, non violasse fidem?

Officii tamen est pars hæc non ultima nostri,
Et qua qui careat, vix amor esse potest.

Oblectant virides, sylvarum umbracula, scenæ;
Huc, quamvis absens corpore, mente redis.

Quin igitur dulcem, quamvis distabit, Amicum
Mens præsentem oculis fingat adesse suis?

Non renuis tolerare gravem, lubricumque sodalem,
Qui tibi curarum grande faceffit onus.

Quin placida satagis fugientem adstringere dextra,
Et nova sollicitusnectere vincla paras.

Blanditiis cura est animum captasse priorem,
Et prope collapsam restituiffe fidem.

Cur minus absentem, veteris pro more sodalis,
Officio Pyladen prosequerere tuum?

Forte peregrinas urget te visere terras
Causa, vel officium cogit abesse procul.

Credis Amicitiae studium fors inde solutum,
Officiisque locum non superesse tuis?

Ah furor est! casti flammæ qui sopit amoris,
Quæis adeo caluit pectoris ara tui.

Sed meminisse parum est, veteris nisi pignus Amici
E studiis socius sentiat usque tuis.

Grandia si præsens per te benefacta recepit,
Parva quid absenti jam benefacta neges?

Vah probrum! effigies focii, quam conscia Zeuxis,
Parrhasiæ manus finxerat, usque trahat?

Effigies fragili, fictoque inducta colore,
Captivæ faciles, vix bene visæ, sinus.

Et longo pietas usu, durisque probata
Casibus integritas mentis, & alma fides.

Tot sæpe officiis, tot & explorata periclis,
Tam cito diffugient pectore, Amice, tuo?

Hæccine, quæ quovis rerum stetit integra cursu,
Effluet immemori tam cito mente fides?

Quam si vel biberes torpentis pocula Lethes,
Excidere haud credam pectore posse tuo.

Firma profecto magis tibi foedera stare putabam,
Nec quæ tam facili succutienda manu.

Quin Phidiæ artificis scalpro penetrasse putabam
Altius, atque imos usque subisse sinus:

Quam fuerit jucunda olim præsentis Amici
Gratia, quam sancto firmus amore favor.

Heu fuit! haud superest præsentis imago sodalis;
Erepta est oculis umbra vel ipsa tuis.

At licet extremos delatus hic usque Britannos,
Aut rigeat Getici fidere forte poli.

Vel sic, crede, animus glaciali est frigore major;
Nec poterit focii non meminisse sui.

Mutua res amor est: fidei documenta perennis
Cum capias, fidei redde pericla tuæ.

Cerne jubar solis medium percurrere cœlum :
Dividat ut lucem, qua patet, orbe suam.

An tantum vicina fovet, recreatque propinqua
Ætheris, aut soli splendet, Olympe, tibi?

Purpureum Eois vixdum caput extulit undis,
En spargit radios promptus ubique suos.

Diffusa perrumpit, memorumque recessibus altum
Incubat; invisas permeat usque specus.

Nec spatii metam figit, nec temporis ullam;
Quin reduci dives lumine quæque beet.

Mens tua fit Phœbo similis, si candidus ignis,
Si tua sollicitet pectora Amica fides.

Quamlibet absenti castis conjungere flammis:
Quamque locus removet, tam prope sistat amor.

ELEGIA XII.

*Nec post vitæ hujus mortalis fata, dul-
cis Amicorum recordatio oblitteranda.*

Herculeas quamvis properet transire columnas,
Euboicasque tuus tentet Amicus aquas.

Per maria, & terras nigri Gangetis ad undas
E Patria, nusquam fors rediturus, abit.

Non

Non tamen hinc animum subeant oblivia fratris,
Quæque fuit, semper fit tibi firma fides.

Si nequeant oculi fugiente reducere ponto,
Quod superat, Pyladen mente sequare tuum.

At nondum contentus amor! quis limes amorem
Arceat? immenso latior orbe patet.

Ultra progreditur pietas: majora supersunt,
Nomen Amicitiae si quod habere cupis.

Solis ut ingenium referas, ac nobile robur,
Ut magno dignum pectore surgat opus.

Ut flammam foveas, quam nulla exstinguere possit,
Nulla vel ex animo vis removeere tuo.

Nec Phaëtonteis terrere pericula monstis
Ulla queant, caëpta vel prohibere via.

Phœbus ab Eois vix emicat aureus undis,
Abdita mox largo lumine claustra beat.

Ima metalliferæ scrutatur viscera Matris,
Et penetrat radiis antra profunda suis.

Abstrusas nemorum cautes, faxa invia lustrat;
Vel tacitos Nerei permeat usque finus.

Sic sæpe exiguas educit in aëra frondes:
E glande immensum surgere cogit opus.

Sic tumulto prodire jubet, sic vivere plantas,
Evocat e sterili munera verna sinu.

Sic decus argento , pretium sic commodat auro ;
Cogit & in venas quæque metalla suas.

Sic lucem impertit gemmis , longeque sepulta
Protrahit e vitreis astra gelata vadis.

Turgentes non Bacchus opes , non vinea botros ,
Pressaque jucundum non daret uva merum.

Nec tot læta Ceres gravidas numeraret aristas ;
Sol nisi munificas spargeret axe faces.

Tam felix ardor , tanta est vis ignea solis ,
Hæc virtus radiis , Cynthie magne , tuis.

Et minus, heu probrum ! possint socialia jura ?
Inferiorque facer pectoris ardor erit ?

Cum socio pietatis honos tumulatus eodem
Deliteat tumulo , depereatque rogo ?

Cum socio prostrata tuo pariterne jacebit
Explorata fides , intemeratus amor ?

Nec deinceps tibi junctus erit , cui nuper in imis
Securum dederas posse latere fibris.

Cui quondam æterno pepigisti fœdera nexu ,
Fœdera nec telis , mors ! violanda tuis.

O nimium larvatus amor , studiumque malignum !
O demum stygiis pacta pianda rogis.

Quin potius subeant animum , qui barbara quondam
Præstiterint sanctam sæcula prisca fidem.

Dum nusquam propriæ parcant vel prodiga vitæ,
Tuta sit ut focii vita, salusque sui.

Aut minus ut licuit socialia fata morari,
Hæc eadem intrepido pectore fata petunt.

Auroræ populos mos hic viguisse per Indos
Dicitur, in Japonum nunc quoque gente super.

Cum Domino servum, primos cum Rege ministros
Mors tragici partem funeris esse dedit.

Funeris ardebat fufis circum undique flammis,
Qui daret in cineres Principis ossa, rogus.

Ante alios quo quemque magis prope gratia junxit,
Quique prior Domini vixit amore sui.

Additus est, busto socius tumulandus eodem,
Augeat ut proprio funere sponte pyram.

Scilicet in vivis ultra remanere pigebat;
Rupere ut nexus mutua vincla suos.

Non tamen insolitos adeo deprecemur ignes,
Insuetumque adeo non meditamur iter.

Nec saluum superesse tuo prohibemus Amico;
Quin etiam fato candidiore frui.

Non miseram sociare necem vel mutua jura;
Sed nec Amicitia lex, ratioque jubet.

Quin potius longos te sospite vivat in annos,
Et Pylios numeret te numerante dies.

Donec

Donec ad Elysiam meliori fidere vitam
Translatus, superas scandat uterque domos.


Optato donec constantia fine coronet;
Fidaque perpetuo foedere corda liget.

Illic innocuis, virtus quos junxit, Amicis
Dulcia communi gaudia fonte fluent.

Quique fuit pacti fons intemeratus amoris,
Idem erit emeriti meta, quiesque DEUS.

FINIS LIBRI TERTII.





NOMINA OFFERENTIUM

ORDINE ALPHABETICO.

ADAMUS L. B. AB EHRMANS,
ET SCHLUEGG.

PERILLUSTRES, EQUITES,

ET

PROVINCIALES.

ANTONIUS JOANNES NEPOM.
DE BITKA.

ANTONIUS DE HEDERICH, S. R. I.
EQUES.

CAJE-

CAJETANUS DE JOHN, S. R. I.
EQUES.

CHRISTIANUS DE ANNACKER,
S. JACOBI EQUES.

DON ERNESTUS A LOCELLA,
NOBILIS DOMINUS DE LOCELLO.

ERNESTUS DE RETZ, S. R. I. EQUES,
E CÆS. CONVICTORUM COLLEGIO.

FRIDERICUS AICHINGER DE
BUCHENAU.

FRIDERICUS DE REITMAYR.

HENRICUS DE CREMERIUS S. R. I.
EQUES.

JACOBUS DE BROCKHAUSEN,
AUSTRIÆ ET BOHEMIÆ PROVINCIALIS.

JOSEPH. HÖPPFNER DE BREND,
E CÆS. SEM. SS. IGNATHI ET PANCRAII.

JOSEPH. FERNER DE FERENAU,
REG. HUNG. EQUES ET PROV.

JOSE-

JOSEPHUS DE PRAITENAU, S. R. I.
EQUES.

JOSEPHUS IGN. DE RECHCRON.
LEOPOL. DE GEORGENTHALL,
S. R. I. EQUES.

LUDOVICUS BAUSSART DE
SONNENFELD, S. R. I. EQUES.

PRÆNOBILES, ET NOBILES.

ANTONIUS DE BERNHARD.

ANTONIUS MAYRHOFFER.

CHRISTOPHORUS DE HANA.

CHRIST. RICHARDUS ZACHER.

FERDINANDUS DE KOLB.

FRANCISCUS XAVERIUS LANG.

FRANC. XAV. PETERNADER.

FRANC. XAV. DE WINTERSPERG.

FRANC. DE PAULA DEMUTH.

JOAN-

JOANNES JOSEPHUS GMAINER.
JOANNES NEPOM. BANDIAN.
JOANNES NEPOMUC. EBERL.
JOAN. NEPOM DE GUTTCHÆS.
JOSEPHUS ANTON. HERTZOG.
JOSEPHUS ANTONIUS KOELBL.
JOSEPHUS FRANC. INAMA.
JOSEPHUS JOANNES KELLER.
LEOPOLDUS ANGERER.
LEOPOLDUS HITTNER.
LEOPOLDUS WOLFFROM.
MATTHÆUS HARLFINGER.
THADDÆUS DE KOLB.

O. A. M. D. G.

